



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Anthona Virg. 22. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



more in publico erat. Hic dum Codicem, dum Digesta frequens corona hiat, ille alia omnia ingressus dicere contra legem hominumque vanitatem declamat; eam vel cœcutientibus nuper oculis se ait pervidisse; ne mirarentur, si hi redditæ VIRGINÆ humana omnia despicerent deinceps, è cælo esse: sequerentur illi oculatum nunc Doctorem, qui lippientem nuper. Finem orationi fuga dedit in montem olivis nobilem, quò pluribus jam concurrentibus, JOANNES scalas è cælo, & in his descendere beatos genios vidit, secumque candidatos quàm plurimos ad VIRGINEM FILIVMQUE VIRGINIS abducere, quod visum nequaquam somnium esse tunc credidit, cum Pontificis auctoritate vestem pro suis ex cæli sententiâ candidam, leges à D. Benedicto sancitas, Ordini nomen à MARIA de Monte Oliveti, ipse BERNARDI accepit. Obiit dum sociis, à peste infectis oculos pius claudit ipsissimus ocellus cæli, ex quo utinam ô MARIANI Argum faceretis! Ex Chron. ejusd. Ord.

*Quantum illi laudandi atque prædicandi, qui dignati non sunt cum mundo florente florere; tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. August. epist. 45.*

S. ANTHUSA VIRG. 22. Augusti.

ANTHUSAM patria Seleucia, in hac nobiles parentes, apud hos raræ opes, & cum his rarior forma commédabat. Sed illa additura aliquid formositatis etiam animo, Christiani fontis balneas fuserat, & lavari à Tharsensi Antistite Athanasio exoptabat. Quare veluti ad nutricem invisuram currum comite uno alterove servulo conscendit.

In-



Interea monitoribus & comitibus Angelis usus Athanasius obviam venit virgini, & ad primum congressum fontem precibus suis dedit, tum deinde ANTHVSÆ corpus undis, animum gaudiis perfudit. Et ut sciret, quem hinc colorem in tam sanctis thermis induisset, adfuere gemini cœlites, qui veste & ipsâ candidâ candidissimam animulam donarunt. Hac illa superba facile auream, quam gerebat, contempsit, exutamque Athanasio, ille miseris dedit. Talis denique nutricem adiit, quæ cum pretium vestis non intelligeret imprudens, culpavit scilicet virginis in tantâ nobilitate modestiam. At hæc clam matre ad Episcopum revertit, & quod sciret facile innocentia vestem sordet trahere, impetravit alteram & fetis horridam, quâ tegeter priorem & indemnem servaret. Quia, ut ne domestici fures hanc raperent amici, in silvas exportavit. Sed & nutrices pro unâ illâ tot illic invenit, quot feras, quæ triginta & duos annos aluere hospitem. Immortua est rupi (lectus hic illi erat) adversus plurimos insultus dæmonis mali ipsa etiam rupes. *Ex Menais.*

*Caro pretiosis indumentis cooperta quid aliud est, quam caro foetida, corruptibilis, necnon ex omni corporis meatu scaturiens in saniam, quam non valet sustinere visus, olfactus percipere, neque ipsa hominis natura perferre? S. Laur. Just. l. de Humil.*

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS, NEON

MM. 23. Augusti.

Potest Ægæa hodie invidiam Romæ facere, & tergeminos fratres & ipsa suos jactare, Horatius vel ideò fortiores, quod vivus è pugnâ nullus abierit, omnes ceciderint victores. Illis nomina

S 2

sunt